



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1765

Titulus XXX. De Aliis Extrinsicæ Et Inartificialis Probationis Speciebus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

TITULUS XXX.
DE ALIIS EXTRINSECE ET INARTIFICIALIS PROBATIONIS SPECIEBUS.

§. 405.

Ad Probationes Inartificiales Refertur Fama: **A**v classem Probationum Inartificialium pertinent Fama seu Rumor, Notorium, Inspectio ocularis.

§. 406. Fama juxta BARTOLUM est communis opinio, voce manifestata, ex suspicione proveniens. Rumor vero communis non est opinio, sed varia quædam susurratio minus ipsa fama efficax. Plerumque Fama inter species non plenæ probationis referatur, secus rumor: nam Rumor est ab incerto, Fama autem a certo procedit auctore. Fama procedit a majori parte viciniæ, rumor a minori: plus est fama quam clamor, quia plurimorum est fama, clamor paucorum. De Fama applicatur illud PLINII 70.): *Singuli decipere ac decipi possunt; nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* Econtra de Rumore SENECA 71.) dicit: *pessimi argumentum turba est.* Unde TULLIUS pro Plancio Judices obsecrat, ne rumuscuius

70.) In Panegyr. Trajani cap. 62.

71.) De beata vita cap. 2.

lis fidem habeant 72.). Bene considerandum est, in primis quid requiratur ad famam probandam : dein an probetur id, de quo per famam constat. Consultum videtur, ut mox præmittam specimen Probationis per famam : unde apparebit, quæ ratione hic Locus extrinsecus tractari debet. Argumentum desumo in materia Juri Canonico convenientissima, scilicet in Causa Beatificationis Servorum Dei, quando agitur de Judicio in genere super *Fama Sanctitatis* aut *Martyrii* 73.).

§. 407. Introducta Causa Beatifica- *Hujus* tionis, expediuntur Literæ Remisso- *specimen* riales pro conficiendo autoritate Apostolica Processu in genere super *fama Sanctitatis* aut *Martyrii*, antequam procedatur ad inquisitionem in specie.

K k 3 Fama

72.) CICERO pro Cn. Plancio: *illud unum vos magnopere oro atque obsecro, Iudices, cum hujus, quem defendo, tum communis periculi causa, ne scilicet auditionibus, ne disseminato, dispersoque sermoni fortunas innocentium subjiciendas putetis... illa vox vulgaris AUDIVI, ne quid reo innocentis noceat, oramus.*

73.) Ex opere BENEDICTI XIV. de Servor. Dei Beatif. &c. lib. 2. c. 39. seqq.

518 *Sect. I. Tit. XXX.*

Fama autem Sanctitatis in genere nihil aliud est, quam existimatio, seu communis opinio de puritate & integritate vitae, & de virtutibus non unicunque, sed per continuatos actus, data occasione exercitos supra communem operandi modum aliorum proborum virorum, aut mulierum ab aliquo Servo vel Serva Dei jam defunctis, nec non de miraculis eorum intercessione a Deo patratis; ita ut, concepta in uno vel pluribus locis erga eos devotione, a plerisque in suis necessitatibus invocentur, & plurium graviorum virorum judicio, digni existentur, ut per sedem Apostolicam referantur in Album Beatorum, vel Sanctorum. Pariter fama Martyrii in genere nil aliud est, quam existimatio, & communis opinio, quod aliquis vel aliqua pro fide Christi, vel pro virtute, quæ ad fidem Christi ducatur, illatam sibi mortem patienter tulerint, & quod signa seu miracula eorum intercessione, vel ad patefaciendam eorum pretiosam mortem secuta sint, ita ut apud plerosque concepta devotione, in suis necessitatibus invocentur, & gravium viro-

virorum existimatione digni judicentur, ut in Catalogum Beatorum & Sanctorum a Summo Pontifice referantur.

§ 408. De his omnibus formandi *In Pro-*
sunt articuli, super quibus examinatur *cessu Bea-*
tificatio-
tur testes. Processus hic in genere mittitur Romam una cum *Epistola E-nis.*

piscoporum, qui eam confererunt, in
qua significare debent Sacrae Congre-
gationi, an & quæ fides testibus ex-
aminatis tribuenda sit, & an iisdem
Episcopis videatur, tale momentum
ex processu per eos confecto derivari,
ut locus esse possit inquisitioni in spe-
cie. Examinatur dein Romæ validi-
tas & relevantia Processus: si Sacra
Congregatio sentiat, non modo Pro-
cessum esse validum, sed etiam famam
Sanctitatis aut Martyrii esse rite pro-
batam, simul autem id a Summo Pon-
tifice confirmetur, Judicium genera-
le, seu super fama sanctitatis absolu-
tum est, ac terminatum.

§. 409. Famæ probatio fit præcipue *Probatur*
per Examēn testium, qui sint spectatæ *Fama*
fidei: licet autem alias Fama probe- per *Te-*
stur dicto duorum testium; in Causæstes:
tamen Beatificationis sex aut octo

K k 4 testes

testes examinantur : non tamen est
necessse, ut sint omnino concordes, si-
ve contestes : possunt enim esse sin-
gulares singularitate adminiculativa.
Sic fama miraculorum erit bene pro-
bata, si unus testis deponat, se vidisse
aut audivisse, a Dei servo cæcum esse
illuminatum, alter vero dicat, se vi-
disse, vel audivisse, claudum ab eo-
dem sanatum, aliis denique subdat,
se vidisse vel audivisse, a Dei Servo
mortuum fuisse vitæ restitutum: nam
in hoc judicio non agitur de miracu-
lis in specie, sed in genere; nec agi-
tur de probando miraculo in particu-
lari, sed de probanda qualitate mira-
culosa in genere: in quo rerum statu
testes prædicti conjunguntur ad fa-
ciendam probationem: adeoque per
eiusmodi testes miracula quidem non
dicuntur probata, Canonizationis
gratia; sed tamen probatur fama mi-
raculorum.

*An debeat § 410. In materia probationis famæ
constare BARTOLUS & BALDUS non sunt inter se
de origine concordes. BARTOLUS 74.) docet, te-
stem Fama?*

74.) In L. de Minore. 10: §. plurimum.
5. ff. de Quæstion. ubi multa occurruunt
valde notanda circa quæstionem de Fa-
ma.

stem debere interrogari , & teneri respondere , a quibus personis audirent dici , ut sciatur , an fama habeat originem ab honestis personis . BALDUS autem 75.) docet , sufficere ad famam probandam , ut testes afferant , se publice dici audivisse , licet non designent , a quibus audiverint . Hanc Baldi opinionem secuta sunt Urbis Romanæ Tribunalia . Cum autem materia Canonizationis sit gravissima , & ad veritatem indagandam plurimum prodesse possit , si nominentur persona , a quibus testis audivit ea , de quibus deponit ; hinc sequitur , opinionem Baldi non esse in hypothesi præsenti retinendam , sed adhærendum esse opinioni Bartoli 76.) : opinio autem Baldi potest teneri in causis leuioris momenti , vel etiam in antiquissimis , in quibus moraliter impossibile est , famam probare cum expressione originis : vel etiam quando agitur de fama comprobanda ex Processu ordinario ; præsertim si testes sint plu-

K k 5 res

75.) In L. i. C. ad SC. Macedon. & in Cap. præterea. de Testib.

76.) Rosa in addit. ad suum tractat. de Execut. Liter. Apost. a n. 157.

res, puta septem vel decem: nam in Processu Apostolico nominatim ponitur Interrogatorium de Personis, a quibus fama orta est.

An fama §. 411. Quæri potest, an famæ originem probetur legitima sit illa, quæ desumitur ex vita alicujus Servi Dei scripta vel edita? alicujus scripta? Respondetur, vitam recenter editam haud sufficientem esse ad constitutandam legitimam originem Famæ pro fine, de quo hic loquimur: sufficere autem vitam antiquam ab aliquo probato autore typis editam. De recentioribus enim historiis licet sint ab Ordinariis revisæ, exhibito Theologorum consilio, easque Sedes Apostolica edi permiserit, Decreta Generalia Urbani VIII. statuunt, nullum in ordine ad Beatificationem gradum majoris probationis constituere, quam sine tali approbatione constituissent, non obstante quocunque temporis cursu. Aliter dicendum esset, si vita esset conscripta ab aliquo probato, licet recenti Autore; si nihil in ea periretur, quod conforme non esset adductis & comprobatis in Processibus; si Viri graves electi non solum opus approbassent, sed etiam id cum Pro-

Processibus diligenter contulissent; si aliqui Cardinales jussu Summi Pontificis vitam examinassent, & eam typis tradi posse censuissent; si demum judicium eorum fuisse a Summo Pontifice approbatum. Exemplum ponit BENEDICTUS XIV. 77.) in vita S. Aloysii Gonzagæ conscripta a P. Virgilio Cepario e Societate IESU, Viro utique gravi & docto. Sex etenim Theologi ante ejus editionem, quorum tres erant Religiosi aliorum Ordinum, eam contulerunt cum Processibus, & dixerunt, eam esse desumptam ex testibus in ipsis Processibus examinatis; ideoque esse prælo dignam. Horum sex Theologorum judicia exhibita fuerunt Cardinalibus tribus, qui fuerunt a Summo Pontifice Paulo V. selecti pro Operis examine. Judicio Theologorum concors fuit iudicium horum trium Cardinalium: tum vero memoratus Pontifex Paulus V. in suis Literis Apostolicis facultatem impertitus est edendi in lucem ad Christi Fideium ædificationem & utilitatem opus prædictum. His positis, difficile admodum esset famam reprobari, de
qua

77.) Loc. cit. c. 40. n. 9.

qua testes deponerent, afferendo, se ita a majori parte populi dici audivisse, & sic dicentes fundamentum dicens habuisse in vita Servi Dei tot examinibus & solennitatibus præviis. Viro gravi in lucem edita.

*Non ob-
stant
scripta
calumnia-
torum.*

§. 412. Facile tamen contingere potest, ut aliqui vel viva voce, vel in scriptis se opponant famæ sanctitatis; quia semper Sancti, qui Ecclesiæ fructuosiores fuerunt, calumniis patuerunt. Igitur ad Fidei Promotorem pertinet, ejusmodi malevolis testibus & historicis fortiter inhærere: ad Postulatores autem, oppositionibus strenue respondere: ad eos demum, qui Sacrae Congregationi Rituum intersunt, mature perpendere, quanti valent oppositiones, quanti responsiones, quinam testes mereantur fidem &c. animadvertenda igitur erit qualitas testimoniū, ponderanda erit causa dictorum, examinandæ circumstantiarum, ut rectum pro fama, vel contra famam Sanctitatis judicium ferri possit. Afferuntur exempla S. Bernardini, Caroli Borromæi & Catharinæ Suecicæ filiæ S. Birgittæ, quorum virtutes pas-

fx

sæ sunt Calumniatores. Neque obstarere debent malevolorum vel deceptorum libri scripti , ubi sæpe multa invenimus convitia, conjecta in eos, de quorum sanctitate habitæ sunt quæstiones 78.). Ex hoc Paradigmate desumi potest, qua ratione procedendum sit etiam in aliis Causis, ubi probatio ex Fama deducitur , quæ per se facere solet semiplenam probationem, imo etiam plenam in antiquis, modo nihil in contrarium adsit , ex quo illa debilitetur 79.).

§. 413. A Fama sæpe non differt *Notorium* : hanc vocem , prout communiter in judiciis sumitur , latinam non esse, cum aliis notat *MENOCHIUS* 80.). *Notoria* enim latine dicitur brevis

-
- 78.) Multa exempla adducit *BENEDICTUS* XIV. loc. cit. item lib. 3. c. 8. & seqq. huc servire possunt ea , quæ traduntur a *MELCHIORE CANO* de Locis Theologic. lib. II. c. 6. & Card. *GOTTI* Theol. tom. I. tr. I. q. 3. dub. II. item *HENRICUS DE BODEN* de eo quod justum est circa testimonia Historicorum.
79.) Varias Causas , quæ possunt probari per famam, recenset *PACIANUS* de Probation. lib. I. c. 49.
80.) De Arbitrar. Judic. lib. 2. cas. 166.
n. I.

326 *Sect. I. Tit. XXX.*

vis & compendiaria scriptio 81.) hodie autem in eo sensu, quo Sacri Canones hac voce utuntur 82.), passim notorium dicitur, quod ita publice notum est, ut negari non possit. Cum autem præcisam definitionem Notorii Leges non præbeant, diversas ejus descriptiones præbent Doctores, juxta diversas opiniones de requisitis ad Notorium. Ab aliquibus dicitur notitia plena ejus rei, cui adjungitur, inducens indubitatam & finitam probationem, alia discussione non egentem: vel quod ante oculos situm est: vel veritas in mentibus hominum ita radicata, ut evelli vel occultari non possit. Cum igitur quilibet in casu particuliari aliquid esse, vel non esse notorium juxta suas Ideas constituat, Judicis arbitrio relinquendum est, an aliquid Notorium dici debeat.

*Juris,
vel Fa-
cti.* §. 414. Aliud est Notorium Juris, aliud Notorium facti. Notorium Juris dicitur, quod a jure, vel in judicio oritur: scilicet quando quis est condemnata.

81.) L. 6. ff. ad S. C. Turpill. & ibi Gothfred. lit. f.

82.) C. fin. de tempor. ordin. C. 8. de Cohabit. Cler. & mulier. C. 1. §. sane, 4. de Consib. in 6.

demnatus per sententiam : quando quis est sponte confessus , aut absque formidine tormentorum perseverat in confessione : item quando aliquid ex Actis liquet. *Notorium facti* dicitur , quod ita per evidentiam rei probatur , sen conspectui & usui hominum præbetur , ut nulla tergiversatione celari possit. Quo autem numero testium opus sit , ut res celari non posse censetur , arbitrabitur Judex inspecto loco & qualitate facti. Sic aliud requiritur , ut delictum sit notorium in aliquo pago , saltem per decem hominum scientiam : aliud in Civitate : aliud in Provincia. Insuper Notorium facti est triplex , aliud est facti continui seu permanentis : aliud facti momentanei seu transeuntis : & aliud facti reiterati , seu interpolati.

§. 415. Tale Notorium debet qui- *Quomo-*
dem in Judicio allegari , non tamen *do proce-*
probari. Quamvis autem passim dica- *dendum*
tur , in Notorio non opus esse ordine *in Noto-*
Judiciario , imo , ordinem esse non *riis?*
servare ordinem : nihilominus pro ma-
jore securitate sua , ne in Syndicatum ,
aut saltem mordaces linguas incidat ,
ea debet præstare Judex , ut in poste-
rum

rum ex Actis pateat, rem fuisse notoriā: unde non debet condemnare ante sententiam & defensionem. Exemplum ponit Bossius 83.), quando Vasallus vel Subditus moratur publice cum hostibus, vel in Castro contra suum Principem, si Princeps absque sententia, bona concedit alteri, securus erit donatarius, quando habet modum probandi, tale crimen notorie fuisse patratum. Circa causas criminales in notoriis Judex debet procedere *ex officio*: in causis civilibus plerumque non procedit, nisi ad instantiam partis, excepto casu publicæ utilitatis 84.).

*Inspectio
ocularis*

§. 416. Notorietati proxime accedit *Inspectio ocularis*: hæc enim operatur firmum judicium conscientiæ in judicando, & verum in testificando; nam veritas percipitur magis per sensum visus, quam per alios sensus, & quod oculus

83.) In tract. crim. Tit. quomodo procedatur in crimen notorio n. 16. ubi n. 10. ponit practicam formandi inquisitionem in notoriis.

84.) De vario modo procedendi in notoriis videri potest SIGISM. SCACCIA de Judiciis Causarum civilium &c. lib. I. q. 76. lib. 2. q. 2.

oculus vidit, lingua negare non potest. In Criminalibus non sufficit apparere de facto per inspectionem, scilicet de Cadavere mortuo, sed debet etiam constare, id scelere factum, quod apparere potest ex vulneribus. Aliud igitur est, quod constet de corpore facti, & aliud, quod constet de corpore delicti: & ad istud requiritur judicium peritorum, sicut etiam in causis civilibus, ubi agitur de causa damni infecti, de finibus agrorum, de novi operis nuntiatione, de aestimatione rerum in casu subhastationis, in compensando damno ex lege Aquilia, de lassione ultra dimidium, in recognoscendis sigillis, Instrumentis, documentis, familiarum nobilium Insignibus, epitaphiis, inscriptionibus, in visitandis molendinis, in comparatione literarum, universim in omnibus negotiis, de quibus non nisi per visum judicari potest.

§. 417. Ocularis inspectio peragi- Requirit tur vel ad requisitionem partium, vel autorita- ex officio Judicis, quando sine hac non tem Ju- potest haberi sufficiens notitia de rei dicis, alicujus qualitate. Si fit ex officio Ju-

L I dicis,

De Judiciis.

dicis, sumptus fert utraque pars: si ad requisitionem partis, sumptus præbet requirens. Ut talis inspectio censatur actus Judicialis, deberet assistere ipse Judex, vel ejus Adcessor, vel Notarius Curiæ, aut alia persona publica, quæ licet sit imperita in re, de qua agitur, nihilominus autoritatem præstat ipsi actui

Sententia lata ex judicio peritorum, transeat in rem judicatam? an in rem judicata non consequi, quamdiu super isto judicialis pronuntiatio non accessit: ideo nec Judici imponit necessitatem sequendi tale judicium, ut ab illo discedere nunquam liceat: pro libitu tamen ab eo recedere, ipsi integrum non est, postquam pro cause decisione illud necessarium duxit. Partibus etiam ex eo adhibito jus est quæsumum, quod Judicem ad observantiam adstringit, ubi urgentem ab eo reddendi causam non reperit 85.). Si igitur Judex ex consilio peritorum fert sen-

85.) MEVIUS p. 2. decis. 261. p. 3. dec. 372. & p. 8. decis. 26.

sententiam , hanc in rem judicatam transire negant aliqui , alii affirmant : distinguunt alii , an causæ , de quibus periti fuerint consulti , certitudinem admittant , uti ab architectis , vel aliis artificibus judicata ; an secus , uti sunt judicia super lethalitate vulneris , de potentia vel impotentia conjugum , de graviditate mulieris , de virginitate &c. in his posterioribus dicunt , non transire in rem judicatam : bene autem in prioribus 86.) . Dissicilis mihi videtur hæc distinctio : juxta hanc enim nulla sententia transiret in rem judicatam , si causa certitudinem non admittat : plurimæ autem causæ sunt , de quarum æquitate in utramque partem disputatur , & tribunalia diversimode sentiunt : nam sententia primæ instantiæ sapissime reformatur in altera instantia : quis autem dicet cer-

L 1 2 titu-

-
- 86.) Pro Architectorum consilio stat Novell. 7. c. 3. §. 2. Contra judicium fæminarum de potentia conjugum aut virginitate pugnat C. 14. de probat & C. 6. de frigid. & malefic. Vid. HERTIUS Opusc. Vol. I. tom. 3. Dissert. de Inspect. ocul. §. 48. CARPZOV. part. I. Const. 26. def. 4. & 5 SCHWEISER Philoparch. part. 5. c. 22. §. 20.

titudinem militare pro sententia primi vel secundi Judicis? unde BACHOVUS 87.) opinionem, quæ sententiam ex judicio peritorum latam in rem judicatam transire negat, *prorsus falsam & absurdam*, & si quid gravius dici potest, esse existimat; nam sententia autoritate Judicis prolata robur suum obtinere debet, licet hic alios consuluerit, ceteroquin de omnibus sententiis ex Consilio Adsefforum lati idem esset affirmandum. Sicut post cognitas testimonia depositiones, novæ productioni obstat metus subornationis, ita etiam idem metus obstatre debet consilio alterius periti, cum alias nullus esset litium finis, & judici improbo daretur occasio retractandi sententias. Decisiones Juris Canonici allegatae loquuntur de valore matrimonii, contra quem nulla sententia transire potest in rem judicatam. Certe Autores, qui docent, judicium peritorum a Judice per sententiam judicialem publicatum, posse ex judicio peritiorum retractari, semper excipiunt sententiam latam ex consilio Juris Consulti,

aut

87.) Ad Treutlerum Vol. 2. disp. 23. thes.
2. lit. B.

aut Facultatis Juridicæ 88.). Ultimato videtur in hac re sentiendum esse, sicuti loqui solemus de Sententiis latiis ex Instrumento, quod postea deprehenditur falsum.

TITULUS XXXI. DE CONFESSIS.

Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 18.

In Sext. Tit. 9.

§. 419.

POSTQUAM de Probationibus, earum- Confes-
que variis speciebus actum est, di- fionis ma-
cendum venit de præcipuo modo, quo *xima*
quis ab onere probandi sublevatur, sci- vis :
licet de Confessione adversæ partis,
quæ tantam habet autoritatem in ju-
dicio, ut non solum liberet Actorem
a probationis molestia, sed etiam ad-
mittatur ad enervandas probationes,
quibus maxima vis inesse censetur,
scilicet contra Præsumptionem Juris
& de Jure, contra sententiam, quæ
transiit in rem Judicatam. Præsumptio
enim Juris & de Jure fundata est su-
per re dubia, quam pro vera statue-

L 13 runt

88.) CARPZOV. loc. cit. def. 2. BRUNNE-
MAN Proc. Civil. c. 27.